
DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

COGNOSCENDIS MORBIS

QUÆDAM

COMPLECTENS.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE .

COGNOSCENDIS MORBIS

QUÆDAM

COMPLECTENS.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

EDMUNDUS HARROLD,

HIBERNUS;

AD DIEM 12 SEPTEMBRIS, HORA LOCOQUE SOLITIS.

Quo tandem capiam luctantem protea nodo

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

APUD ROBERTUM ALLAN.

M,DCC,XCVII.

DAVIDI NAGLE,

ARMIGERO,

BATHONIÆ,

MECNON,

JOSEPHO NAGLE,

ARMIGERO,

DE CAVERLEIGH,

IN

COMITATU DAMNONIENSI,

FRATRIBUS OPTIMISQUE VIRIS,

QUORUM ILLE PARENTIS,

HIC AMICI FIDELISSIMI,

OFFICIIS

ERGA EUM CONSTANTER

FUNCTUS EST.

DAVID R. GALE
DEBUM

JOANNI HUSSLY



BARONI DE CORTRAM

JOSEPHO HUSSLY

CUIUS PRIVATA VIRTUTIS QUI

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

PUBLICAS PARI RESTATUR

ET PARS DE TEMPORE VARI

HOI HOC OBSCURANTIA

PRO AMO ET FELICITATE

FRONTI AVCTOR

ERGA RIBI GRATIAS

BITWOTER EST

DEMUM

JOANNI HUSSEY,

BARONI DE GORTRAM, &c.

CUJUS PRIVATAS VIRTUTES, QUI

ILLUM NORUNT OMNES,

PUBLICAS PATRIA TESTATUR

HOC OPUSCULUM

DICAT AUCTOR.

JOANNI HUSSEY

JAROMI DE CORTIAM, ac

CUJUS ERVATAS VIRTUTIS QUI

ILLAM MORTUO CURET

PUBLICIS PATRIA TESTATUR

HOC ORBEIUM

DICAT VIRTUS

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

COGNOSCENDIS MORBIS

QUÆDAM

COMPLECTENS.

AUCTORE, E. HARROLD.

NEMO est quidem, medicinam facturus, qui se-
cum reputat quanta quamque ardua medici curæ
committuntur, cujus animus muneris suscepti mag-
nitudine non moveatur. Illius est quippe ægro-
tanti homini opem ferre, valentis attamen functio-

num naturam nequaquam satis perspectam habet ; quâ scilicet ratione in chylum cibus, quâ hic in sanguinem abeat, qua demum ex sanguine, tot mira solida, tot mira fluida conflantur ; hæc atque alia plura non tam scientiâ comprehendit quam conjecturâ persequitur. Morborum præterea formæ pro temperamentis, pro ratione vitæ, pro congenitâ atque latente quâdam corporum fabricâ, admodum revera variæ sunt ; ita ut iidem morbi diversa symptomata, diversi vero pené eadem non raro exhibeant. Hinc insignes peritiâ medicos aspiciamus, de statu ægrorum incertos atque non nisi Empiricorum more remedia administraturos ; non mirum ergo est si de rebus quæ tantorum virorum aciem eludunt, iudicium ferentem medicinæ tyronem famæque suæ ægrique salutis pariter timentem, cura atque sollicitudo angant atque opprimant. Ipsum certe decet fontes omnes explorare, e quibus sibi præsidia comparet ; cumque mos hujus almæ academiciæ exigat, ut quilibet summos in medicinâ honores ambiens opusculum aliquod in medium proferat, tanquam testimonium diligentis suæ ;

suæ ; sequentibus paginis præcepta quædam colligere constitui, quæ morbis distinguendis inserviant, quibusque innixi sunt lubrico adeo solo incedentes tot egregii in arte medica viri, sicque ipsorum experientia memet rudem atque inexpertum suffulcire.

Quicquid patiatur natura, inter dolores suos raro filet ; varia autem signa edere consuevit mala quibus premitur fatis plerumque indicantia ; hæ sunt veræ ipsius voces, his loquitur, clamat, conqueritur ; has qui interpretari voces nescit, medici falso nomine gloriatur, indignus prorsus professione medicinæ.

De his itaque symptomatibus (ut vocantur) primo dicam, quæ morbos quamdiu exquisité suos typos conservant detegere fere sufficiunt.

Dein indicare conabor, quibus modis, symptomatibus hisce magis ambiguis, vera affectûs natura pateat.

Inter morbos alii sunt uni præcipue parti, alii pluribus, alii universo corpori infesti. Ast vero

quicumque locus fit in quo inciderint, ibi molestior aliquis, vel doloris, vel plenitudinis, vel anxietatis, sensus oriri solet, atque illico functiones illarum partium turbatæ, aut languent, aut nimis excitantur.

Aures oculive affici vix possunt, quin hæ sonos horreant, illi lucem refugiant, nimis acuté sentientes, vel torpentes eadem minus perfecte percipiant; nec lædi cerebrum, motûs sensûsque origo atque fons, quin solvantur muscoli aut convellantur.

In febribus celerior pulsus, artus debiles, ventriculus cibos nauseans, demonstrant tam vasa quam nervos, per totum fere corpus, laborare. Sit itaque medico sedem cujusvis morbi indaganti solemne inquirere quis molestiæ situs, quænam functiones læsæ sint.

Sed certa quorundam organorum vitia inter ipsa tantummodo nocent; sic caligari visum, auditum graviolem fieri, videmus, homine cæteroquin sanitate fruente; e contra si morbus a pulmonibus, ventriculo, exhalantibus cutis vasis, aliisve nobilioribus

organis nascatur, his solis rarius affixus serpit atque alias partes occupat, quæ cum affectâ insigni quovis nexu uniuntur. Sic, infarctis pulmonibus, pectus gravatur, spiritus ægrius trahitur; sed præterea ob impeditum a cerebro sanguinis refluxum, vasa distenta turgent, intumescunt vultus, purpurascunt, livescunt; si laboret hepar bilique intestinis aditus negetur, deficiente stimulo, fæces stagnant, quæ alias nimis celeriter dejiciuntur, dum calore excitatum hepar humorem suum copiosius secernit. Partem præterea ejusdem glandulæ convexam si inflammatio corripiat, singultus, si concavam, vomitio, exoriri dicitur, primo quippe exemplo diaphragma, altero ventriculus sedi mali prior, summopere irritatur; concitatis arteriis nobilioris cujusdam partis inflammatæ vasa simul omnia pariter exagitantur, corpusque febre exæstuat.

Talium forte consensuum causæ, utpote ab ipsa partium naturâ, officii similitudine aut vicinitate, desumptæ, in aprico magis sunt; alii vero sunt obscuriores, qui partibus occurrunt dissitis atque ut videretur

retur inter se omni ratione alienis; quis enim rationem reddet cur ventriculus adeo langueat, a pedibus repulsâ podagrâ? cur hystericis urina limpida copiosa proruat? cur hepate laborantibus dolor ad summum humeri dextri excurrat? cur ab aciculæ punctulo tetanus oriatur, inducto autem ex levissimâ causâ sævissimo morbo, cur, muscibus motus voluntarii spasmo contractis, functiones vitales et naturales parum adeo conturbentur? Hæc ipsa tamen consensuum genera, quorum fontes atra caligine merfi latent, lucem certe maximam morbos investigantibus fundunt.

Itaque cum, non minus ob loca corporis varia, quam ob naturam morborum qui iisdem incumbunt, alia atque alia signa cernantur, scriptores medici ad has varietates animos convertentes, seduloque observantes quænam symptomata hæc vel illa pathemata secuta fuerint, hæc demum in unum collecta, tanquam fideles morborum historias, ediderunt:

Fatendum autem est quamvis talium virorum industria

dustria medicinam haud parum provexit, a scopo tamen suo ipsos sæpe aberrasse, rem equidem per arduam aggressos; namque morbo facies non semper una, raro simplex, aliis sæpius implicatur: non satis interea statuerunt, quæ unicuique propria signa, quænam extranea; nil mirum ergo quod ex his omnibus enumeratis talis symptomatum congesta moles fuerit, ut scriptas credideris non unius tantummodo sed plurium morborum historias.

Gratias ergo summas illis deberi puto, qui ex ingenti inconditâque materiâ illa tantum excerpere quæ simplici unicuique morbo pertinere videbantur; atque hic inter tot alios illustres viros, qui huic rei navarunt operam, clarissimi SAUVAGESII incredibiles pene labores silentio præterire nequeo; cujus vestigiis insistens, lumen hujus Academia, CULLENUS morbos ad classes, ordines, genera ac species feliciter redegit, singulorum naturam definitione amplexus signis quibusdam sensibus obviis luculentius expressit, varietates quotquot sunt indicavit, atque a primariis symptomaticos studiose distinxit.

Nobile revera opus, quamvis nondum ad acmen perductum, quo tanta uno quasi intuitu animus comprehendit, filumque præbetur tyroni, quod tenens operosa aliorum volumina non sine fructu evolvat. Cæterum, ille sibi male consulat, qui, ex opere tali nosologico omnia necessaria ad cognitionem morborum derivanda esse credens, scriptorum historias tanquam prolixas contempserit. Nosologiæ enim est communiora symptomata tradere, quæ tamen sæpe non eo ordine, aut gradu, aut numero occurrunt, sed omni modo variare solent. Hæc ergo

edicinæ practicæ fundamentum quoddam est, hæc quasi norma, cum quâ comparari quidem mutabiles morborum formæ, ad quam vero reduci omnes nequaquam possunt.

Quæcunque hac de re dignè scripserunt vel veteres vel recentiores, ea legat relegatque medicus atque alta mente reposita teneat. Sciat quæ rariora, quæ frequentiora symptomata, quæ quovis die expectanda fuerint, quo tempore mitescere, quamdiu furere vel qualia demum in mortem abire consueverint; nec graviora tantum sed et minima

quoque

quæque animo attendat. PRINGELIUS testatur malignissimi generis febrim quæ Britannicum exercitum afflixit in accessu suo nullo nisi tremoribus manuum signo ab aliis febribus fuisse dignoscendam.

Ait autem de hydrocephalo interno eximiè agens RUTHERFORDUS, proteiformem morbum se certiùs agnovisse, si ægrotautes manibus subitò supra caput elevatis vehementer plauderent.

Nequaquam verò soli lectiõni fidendum est, vel etiam SYDENHAMI ipsius historiis incumbendum; adeat medicus languentium atque morientium lugubres domos, ibique quæ priùs ex aliis hauserat, oculis præsentia intueatur; ibi discat observare pulsûs, oculorum, vultûs, linguæ, caloris, quaslibet mutationes; atque ex toto habitu laborantis naturam morbi cognoscere, atque eventum prædicere.

Oportet imprimis illum, cui se, cui vitam suam, æger committit, attentâ pacatâque mente eis auscultari quæ ipse de malis suis enarrat, dein soli laborantis salutis consulens secum perpendere, quibusnam morbis talia eveniunt, atque ea de singulis interrogare quibus hi inter se distingui solent.

Sunt quidem qui summam laudem sibi adeptam fore credentes, si de omnibus promptissimè iudicium tulerint, cum primùm symptomata quædam ipsis innotescunt, quæ certo modo affectis adfuisse viderant, decernunt protinus simili quoque morbo ægrum cui hæc contingunt laborare, fœdèque errantes miserorum vitæ propriæque famæ pariter infidantur. Talem forte accerset senex cui tussis frequens, dyspnœa, expectoratio largior est: cum hæc catarrhi senilis signa sint, non dubitat imprudens hunc morbum quoque catarrhum dicere; si vero altiùs rem perpendens, pedes observasset aliquantum tumidiores, parciores urinam, sicciorem linguam, non catarrho, sed hydrothorace, male deceptum hominem urgeri iudicasset.

Tumoris aut molestiæ situs morbi sedem plerumque dabit, si minus hæc ex functionibus læsis aut partium consensu eruatur; parte vero cognitâ ex his omnibus, aliter atque aliter se habentibus constabit, quodnam genus mali ipsi infederit.

Si tumor adfit, interest cuiusnam coloris vel figuræ sit an durus, an mobilis, an crescat vicissimque subsideat, an pulset, an situm mutaverit, partis simul quam primo occupaverat mole etiam præternaturam imminuta.

Si molestiæ sensus oriatur, videndum est, quâ corporis positurâ maximus sit, an pressurâ, vel organi cuiusvis actione, augeatur, an partes doleant, pruriant, tendantur, an fortè graventur.

Cum verò adeò sibi invicem vicina intestina atque renes sint, vix equidem e sede doloris judicari potest alterutrum horum organorum affectum sit, attamen si unâ cum fæcibus cruor descendat, intestina, si autem urina, vel sanguinea, vel turbida cum sedimento, feratur, renes, laborare novimus; res adhuc clariùs patebit, si nausea, si vomitus, sit gravior, si stupeant crura, si testiculi retrahantur; acerrimos demum dolores, a materia quavis irri-

tante ortos, renes subire sine febre possunt, inflammari vero sine febre non possunt.

Vesicæ urinariæ fibris paralyfi solutis, tumet hypogastrium atque dolet; tales vero urinæ retentiæ effectus solent, hâc educâtâ, penitùs cessare. Si vero intra vesicam calculus hæreat, impediatque urinæ vias, vehemens sæpe et urethræ et ani irritatio exoritur, cum dolore circa vesicæ cervicem inter mingendum, vesicâ contractione suâ calculum comprimente, prorsus immani; atque hæc symptomata, vacuâ etiam vesicâ, sævire nihilominus perstant. Erit medico hoc certè utilissimum, cognitis scilicèt quantum fieri potest morborum causis et naturis, effectuum ex harum diversitate profluentium rationes attentè investigare; huic quippe exercitationis generi assuetus animus, ex signis sive effectibus morborum manifestis, intimam mali quo quis laborat indolem clariùs atque faciliùs comprehendet.

Haudquaquam vero sufficiet præsentia tantum symptomata cognoscere, sunt et præterita summâ curâ indaganda. Medico certe plurimùm interest, in morbo, quovis scire quæ symptomata pro primariis

mariis habenda sint: talem scientiam ordo, quo illa sibi invicem successerunt, facile sæpe præstabit. Phrenitis feбри diu stabilitæ superveniens symptomatica est; qui, melancholiâ afflictus, dyspepsia deinceps infestatur, olli ventriculi torpor ab animo languente profluxit. Aliud est inter morbos discrimen, prout leniùs aut violentiùs irruerint; solent nervosæ febres tardis passibus obrepere, malignæ, e contra, repentino impetu invadunt viresque prosternunt.

Videndum etiam est an remissiones ullæ fiant; vomitus post cibos quolibet sumptos constans, aut dolor eidem abdominis parti pertinaciter affixus cum tardiori alvo, obstructiones quasdam organicas videntur demonstrare, quæ malis naturæ adeo immutabilis originem præbeant. Acuti demum morbi, violentiâ atque progressu celeri, signis autem mitioribus magisque diuturnis, vetusti, dignoscuntur. Hoc modo a catarrho violentiore, aut incipiente phthisi pneumonia discrepat.

Quæ vero inter initia sua ambigua magis sunt, de his postea meliùs sæpe judicetur, symptomatibus
novis

novis per decursum morbi sponte accedentibus ; affectus hepatis chronici ventriculum perturbant, adeo ut primò difficile sit scire, anne hoc organum primaria sit sedes morbi, quo verò provectiore, solent aut flavedine quâdam oculi offundi, aut tumor in epigastrio durus exurgere, unde res extra dubium ponitur.

Quinimò morbos, excipientes morbos subinde cernimus ; dolores nephriticos podagra sedat ; rheumatismi acuti in chronicum, atque hujus in acutum, mutatio frequens est ; partium internarum inflammationes, externis inflammatione correptis, solvuntur ; sic veteri vix soluto, vel adhuc persistente, malo, nova sese medico offerunt dignoscenda.

Nonnihil etiam diagnosi feliciter instituendæ confert, remediorum effectus observare. Morbus quilibet illis solummodo debellari potest, quæ viribus naturæ illius contrariis pollent ; quæ vero ejusdem naturæ sunt, ab his tanquam ex fomite novos ignes concipiens, sævior flagrabit. Adauctus itaque stimulantibus morbus indicat, quoddam in corpore æstuosum atque febrile latere ; si potiùs iisdem levetur,

tum quidem patet, ex torpore atque atoniâ repetendam esse mali originem. Hinc cum inter rheumatismum acutum atque chronicum, limites adeo exiles natura constituit, guiaci resinâ atque terebithinis tractatur ambiguum sæpe malum; quibus vero incassum tentatis, si ad sudorifica atque alia evacuantia confugiens medicus, talibus curationem feliciter moliatur, jam sævissimorum cruciatuum vera indoles luce ipsâ clarior cernitur. Neque aspernanda est scientia, quam vel illa nobis comparant in quibus decipimur; medicinæ, conjecturalis utpote artis ratio, et humanæ imbecilitatis conditio faciunt, ut et peritissimus quisque subinde fallatur; ast is certe boni medici officio fungitur, qui luminum per ipsas erroris tenebras affulgentium ope, laborantium miseris subvenire contendit.

Inter hæc reminiscendum semper est perarduum esse colligere ab ægrotantibus malorum suorum veram naturam, quam quidam celant verecundiâ inducti; quibus suadendum est ut se medico credant omni ratione ad silentium obligato. Alii e contra alienos morbos simulant, sive ut misericordiam moveant,

moveant, si vultu omnino, et gravitate, et qualis argu-
 untur foeminae, quae fetus suos medicamentis, ex-
 cessis esse volint. Plurimi malis oppressi, atque illa
 praecipue attendentes quae majorem sibi molestiam
 afferunt, id est aliis interea quamvis summi momenti
 symptomatis altissimè silent; rudés alii, vel morbi
 gravitate hebescentes, responsa parum clara reddunt.
 His multa sunt suggerenda, quæstiones simplicissimâ
 formâ proponendæ, variandæ sunt; inquirere quo-
 que ab amicis ægri de multis oportet, atque vide-
 re, num quævis pars narrationis cum cæteris bene
 an male quadrat; leniter atque patienter sese ge-
 rat, medicus erga ægrotantes; increpare miseros ni-
 si res magnopere postulet, crudele ducat; mini-
 strum paterni numinis convenit paterno animo hu-
 manis malis suppetias ferre.

Dixi ex symptomatibus naturam morbi deduci
 posse; quod tamdiu verum est, quamdiu sibi pro-
 priam formam retineat; at ubi ita omnia turban-
 tur ut non modo ea desint, quæ morbo propria vi-
 dentur; sed et nova et aliena adjiciantur, tali re-

rum aspectu attonnitus quò se vertat ignorabit ille, qui solis symptomatibus fedit.

Cunctantem forte confirmabit origo mali rite explorata.

Corpus humanum pluribus, atque diversæ admodum potentiæ, nocentibus causis objicitur, atque hinc nascuntur tot interni turbines, totius machinæ ruinam minitantes. Alia calor, alia frigus, alia crapula, alia contagio concitat. Quoniam vero inter illa quæ certis corporibus mortifera sunt, altera illæsa vigent, oportet ut unicuique infit aliquid; unde his potius quam illis malis fiat opportunum; et neminem certe latere potest, quantò sanius de ægrotantibus judicare possimus, illis præcognitis, in quæ quisquis faciliùs incidat. Agam itaque de his corporum differentiis ab ætate, sexu, habitu, temperamentis, petitis; et primò de ætate.

Corpus infantis plenum, molle, irritabile, adulti firmum validumque, senile rigescens atque

hebes est. Itaque in singulis timenda sunt adversæ valetudinis diversa genera.

Ætatem teneram pericula multa circumstant, iis nimirum contagionibus objectam, quæ non nisi semel in eodem corpore effectus suos edere possunt, deinceps innocuæ evadunt: tales contagiones pertussin atque exanthemata movent. Ætate quoque primâ debilior sæpe ventriculus, atque cibos fatis subigendo impar, insignem aciditatem copiam teneros intestinorum nervos vellicantis parit; hinc nausea, vomitus, dejectiones virides, stricturæ, tormina, atque per totum corpus convulsiones febriculæque ciuntur. Parvulorum intestina vermibus roduntur sæpe, aut obstruuntur, miseris interim lugubri vultu, tumidiore labio superiore, tumefacto abdomine, appetitu, nunc voraci, nunc deleto, singultantibus atque febricitantibus. Sileo de malis corpus infantis irritabile a dentitione afficientibus; de molitie ossium a septimo mense ad quintum circiter annum infestante: fatis enim ex his quæ dixi apparebit, maxi-

mi momenti esse infantes curanti, huius ætatis statum atque morbos perscrutari. Cætera obiter perstringam ; adolescentibus sanguinis impetus ad pulmones præcipue, insigni exhinc plethorâ turgentes, divertitur : aliæ namque corporis partes, firmiores factæ, distendenti sanguini magis renitentur ; rumpuntur tenerima pulmonum vascula ; sanguinolenta sputa sunt ; ulcera generantur, atque tabe marcescit corpus. Pro ut ætas procedit, augetur indies fibrarum tonus, atque aptior inflammationibus homo, doloribus artuum atque laterum sævissimis sæpe torquetur : his podagra, calculus, atque ob sanguinis tardio-rem motum viscerum oppilationes, affectus hypocondriaci, nova turba succedunt. Senescenti plethora venarum insignior est ; inde hæmorrhagiæ sæpe lethales : rigidæ demum fibræ, tremulæ, paralyticæ fiunt ; vasisque plurimis obstructis, partes vitales stimulo ac nutrimento debitis carentes quiescunt.

12500. 11071270. 11071270. 11071270. 11071270. 11071270. 11071270. 11071270. 11071270. 11071270.

Quid vero de iis dicam quæ in utrovis sexu
 diversa eveniunt? Infans uterque primis ab
 annis sibi invicem simillimi crescunt; post ubi
 jam adolefcere incipiunt, diverfitas insignior ori-
 tur; robuftiori puero tumefcunt mufculi, vox
 raucior fonat, campages solidorum firmior eva-
 dit, jamque perfectum corpus novi ftimuli ex-
 citant, nova animum defideria impellunt. At in
 fequiori sexu, dum ipfi proprias mutationes na-
 tura molitur, quoties quafi tanto non æquæ co-
 namini virginis ora purpureus fugit color? de-
 miffa, pallens, œdematofa, vitæque pertæfa, lan-
 guet; donec paulatim vires etiam inter damna
 acquirens, venuftior, amabilior, exuviis veteribus
 pofitis, micat; erumpit inter hæc fanguinis
 ille rivus foetui alendo deftinatus: hinc vero
 ut alia taceam nova morborum labes; hoc enim
 fuppreffo aut minuto; quot, miseram convellunt
 fpalmi? quot febres accenduntur? quot ex fonti-
 bus fanguis retroverfus ruit? eodem, e contra,
 largiore, vires franguntur, craffiore parte detrac-

to, sanguinem ferme aquosum, vasa ferunt, qui in omnia corporis cava elabitur: quanta præterea patitur mulier dum concipit, dum foetum alit, cumque, his officiis absolutis, fluxus ille menstruus sistitur? Quicumque de mulierum morbis sanum ferre iudicium velit, quo modo cunque laborent, sedulo investigabit, quæ menstruorum conditio fuerit, eo enim neglecto, morbos morbis confundat necesse est. Namque vix dici affectus, aut cogitari potest, qui ex hujus uterini fluxus vitiis non aliquoties oriatur.

Fœmina demum atque infans laxæ sunt atque irritabilis fibræ, vir autem tum corpore tum animo firmiore donatur. Hæc tamen nequam perpetua sunt; namque cernere est viros fœminis similes, necnon minimo quovis admoto stimulo agitados; et contra fœminas virili constantiâ atque robore gaudentes; tot enim hominibus habitus varietates quot sunt ora, atque inde singulis diversissimi generis morbi: hinc quidam apoplectici, alii hæmoptysici, phthysici, podagrici

grici habitus dicuntur, desumptis scilicet nominibus a forma corporis in certos morbos procliviori; sic non modo presentia agnoscimus, sed et futuris providemus. Variis necnon temperamentis homines insigniuntur; sanguinei inflammationibus magis patent; qui vero plegmatici febricitant, in his ad languorem atque debilitatem morbus tendit; melancholici vero viscera sæpe obstructa habent animumque demissum.

Solent hi inhærere malis suis, vanisque sese terroribus fatigare, medico nova fingere, vel quæ patiuntur ita dictis amplificare, ut qui ipsis adhiberet fidem, de tantis curandis penitus desperaret: nec forte ulla res est quæ majorem experientiam aut subtilitatem requirat, quàm in talibus ægris a fictis vera fecernere; ad hunc finem observandus est accuratè status, tum corporis, tum animi, atque inter ea de quibus quærentur, atque symptomata obvia, comparatio sedula instituenta est.

Quid

Medico quoque momenti haud levis est, omnia ad sani functiones pertinentia novisse, quem ægrotantem invisit; si pulsus tardi fuerant an citati, an inequales, si appetitus voracior, si concoctio difficilis, si pallidior facies; his quippe stare valetudo potest: sic cui sano arteriæ per minuti spatium quinquages tantummodo, si laboranti septuages vel ultra micuerint, talis hominis pulsum, sani conditionem perspiciens febrilem dixerit, hanc autem ignorans naturalem.

Haud parum sæpe proderit ad proavorum morbos respicere, quos misera sæpe proles, una cum vitâ, a parentibus haurit, vicissimque liberis tradit, per seros nepotes propagandos; scrofula, podagra, asthma, quibusdam familiis perpetuò sæviunt; exempla autem non defunt podagræ rheumatismum, phthisis incipientis catarrhum, ita referentium ut vix equidem dignosci queant; re dubiâ, utile erit noscere, si vel phthisis vel podagra ægrotanti hereditaria fuerit.

Intimas necnon corporis dispositiones prægressi-
 fi ægrotantium morbi manifestas faciunt, prædis-
 positio enim corporis sternit cuius affectui funda-
 mentum, atque ab eodem repetito augetur. Hu-
 jusce rei veritatem cynanchi atque erysipelati
 obnoxii quotidie experiuntur. Fœminis hysteri-
 cis subinde paroxifimis vexatis, siue respiratio
 anhela fiat, siue ventriculus spasmis, caputve
 dolore tentetur, symptomata talia quamvis per
 se incerta, hysteria nullas non formas mentienti
 recte referuntur.

Haecenus ad naturam corporum conatus sum
 morborum diversitates repetere, sequitur ut quæ-
 dam dicam de causis eorundem externis, quæ tam-
 deò numero sævitiaque pollent, ut nisi animal
 sese incolumentuendi potentia, indita effet, vix
 oculis novus homo lucem hauriret, cum nigra
 morte undique circumcessus eos in æternum
 clauderët.

Unica

Unica atque specialis causa morbos nonnullos, præcipue autem exanthematicos, movet, et hæc cognitâ, facillimè dignoscuntur; verisimile videtur typhoideas febres, quamvis hisce producendis concurrant crapula, ebrietas, frigora, eidem ordini esse ascribendas. Si quis, contagione putridâ grassante, aut tytho graviore laboranti assidere assuetus, pyrexix signa persenserit, est equidem cur vereatur ejusdem typi sibi morbum instare; locis item paludosis degentes intermittentibus obnoxii adeò sunt, ut etiamsi febribus laborent vix sensibiles remissiones exhibentibus, suspicandi locus fit, has de genere intermittentium esse, casu verò quodam de cursu suo naturali detortas. Variis nonnunquam ludit personis venerea lues, cui sive leucorrhææ formam mentiatur, sive rheumatismi specie artus excruciet; nihil sæpe larvam fatis detrahit, nisi de veneni syphilitici applicatione constet.

Attamen illorum, quibus homines afficiuntur, longe plura fontibus admodum variis prove-

niunt, neque verò origines ipsorum ideo attentione minus dignæ judicentur. Affectus quivis, causæ suæ ratione, diversam frequenter naturam induit, diversam medelam poscit. Nemo non novit quantum discrepant diarrhææ species, quarum quæ a putredine oritur, acidis, quæ ab aciditate alkalinis, quæ a suppressâ perspiratione, diaphoreticis, cedit; neque magis distat typhus a synocha, quam apoplexia qualem effusus, ob cerebri nimis distenta vasa, sanguis producit, ab eâ quæ a venenis vel a concussione est; idem tamen in utraque stupor animi torporque musculorum.

Summum itaque harum causarum momentum postulat, atque varietas tanta requirit, ut illis perscrutandis toto animo incumbat medicus, qui de genere humano bene mereri cupit.

Unaquæque non modo telluris plaga, sed et regni ejusdem sæpe provincia, et ordo hominum, propriis morborum causis objicitur.

Ut vero a simplicioribus incipiam; res est momenti; maximi temperiem loci observare, in

quo quis medicinam exercet, an cœlum ibi calidum, an frigidum, an mutabile; necnon spirantes ibidem quovis anni tempore ventos, si mare, si terras, perflant; si loca sicca radant, an paludosa; multumque interest inter montes altos quis, degat, an vallibus reconditus nebulæ quas densæ perpetuæque occupant. Corpora inflammat frigus, maxime si calore sæpius subitoque alternet, idem verò longis caloribus relaxatum corpus excipiens putridis morbis opprimet. Hisce regionibus per maximam anni partem nubilis humidisque, ubi frigus constringit vasa, dum humor corpus enervat, ubicumque vertuntur oculi, phthysicorum pallentes vultus, catarrho laborantes dyspepticos, podagrâ febrisque lentis cubilibus affixos homines, aspiciunt; quorum tamen malorum plurima, uti verno tempore constricta, gelu tellus, sic æstivo calore resolvuntur. Quis sit itaque morborum cursus, quinam, his aut illis ventis, qui frigido, qui calido cœlo dominantur, disquiret ab alijs et ipse nota-

bit, qui in ægrotantium auxilium plene excu-
bat.

Argumentum de aère gravissimum levissime
tantum tetigi, qui plura vult, consulat illustri-
um virorum PRINGELII atque HUXHAMII eximia
opera.

Jam venio ad illas causas quæ corpus et ip-
sæ lædunt, et ita mutant ut facile supra dictis æ-
ris conditionibus laboret.

Simplicissima sunt illarum gentium mala quas
non dum luxuria fregit. Corpora valida, frigori,
vigiliis, laboribus assueta, quibusvis nocenti-
bus causis strenuè repugnant; quæ, si nimia læ-
vitiâ invadant, tumultus quosdam violentos exci-
tant, cita morte aut victoriâ lætâ terminandos.

Ante institutum cum Europæ gentibus com-
mercium, (teste RUSHIO) rari inter Indos mor-
bi præter febres quasdam extiterè. Quoniam
igitur excultis nationibus morborum cohors in-
cubuit, quos detegere aut curare nemo speraret,

nisi longis studiis imbutus, experiëntiâque edoctus, quærenda causa est, nativum depascens hominum vigorem, a moribus, institutis, diversisque hunc dierum vitæ rationibus, derivanda.

Quid de mensis ventri studentium dicam, undequæque petitis epulis, ventriculum ad ingluviem usque provocantibus, onustis? Quid de poculis? quid de toris e mollissimâ substantiâ confectis, quibus parum exercitata corpora immerfa cubant? Sed a naturæ proposito deflexisse præcipue videntur mores mulierum nobiliorum; hæc diæta stimulante ac pleniore utentes, cubiculis calidis, tepidisque sorbitionibus sese infirmant, nocturnisque non dubitant debilitata corpora frigoribus objicere; hinc stirps oritur caduca, infirma, atque, sicut parentes, tempestatibus ferendis impar.

Ast non modo divitum superbas ædes, sed et humiles pauperum casas, mors atra variis nec facillè detegendis formis obsidet; pauperum mala labor præsertim nimius cibique inopia pariunt,

unde

unde animæ demissæ, corpora exhausta, atque in morbos prona; his adde impuri aëris effectus, quem arctis domiciliis suis conferti respirant; quodque malis suis remedia non ab industria quaerant, sed ex ardentium spirituum usu, qui vim vitalem primò excitant, postremò paulatim extinguunt. Sic dum luxui debiti laxi fiunt, atque plethorici habitus, egenos contra debilitantes causas undique lacescunt.

Objici mihi ab aliquo posse scio, eorundem morborum affultui et divites et egenos patere; sed ut podagram atque alia taceam, quæ sunt propria lætè viventibus, hoc insuper asserere non dubitabo, morbos, qui iisdem nominibus sortiuntur, dissimiles vivendi modo fieri. Dum pauperi laboribus, frigore, inedia, fracto, quædam pars corporis languet, resoluta, morbum sine mora referimus vi nervosæ ob tot causas debilitantes ferme extinctæ; resolutio autem quævis corporis, desidia atque ingluvie gravati, signum est compressi cerebri. Pari modo si duabus fœ-

minis quarum, hæc diætâ, stimulanse et copiosâ
uisa est, illa autem parcissimum sibi victum la-
bore assiduo vix comparavit, menses præter solitum
copiosiores subitò oboriantur, cognitâ utriusque
vitæ ratione, dixerim uni distenta nimio sangui-
ne vasa uterina, alteri nimis debilitata cum tota
corporis compagine, fuisse.

De variis morborum fontibus mihi in animo
non est fusiùs tractare. Ad mores hominum
atque negotia spectandum est. Diu sôpita
luis, nihil tale suspicantibus ægris, aliorum
morborum, et SWADEURO teste, ipsius subinde po-
dagræ æmula erumpit. Lacerata sæpe atque
contusa militum nautarumve membra, post do-
lores diu intermissos, et fèrme oblitos, debilia
fiunt, atque quodammodo paralytica. Quos ad
varias terræ plagas negotia trahunt, ii domum
sæpe secum reportant ad novos morbos at-
que alienos proclivitates. Ab Indiâ Orien-
tali redûces hepatis inflammationes infestant.
Homínibus otio debitis languida corpora sunt
atque

atque concoctio ciborum prava. Si simul studiis nimis indulgeant, caput præterea, atque ipsam, quam adeo colunt, mentem morbus non rarò petit. Sed hæc me longius ducerent. Mortalibus natura dedit functiones eximias exercere, atque five ad utilitatem, five ad oblectamentum plurima concessit, hæc tamen lege, ut si talibus abutamur, in perniciem nostram cedant. Sic præter venena, contagiones, atque alia per se nociva, cibus, etiam, potus, aër, musculorum actio aut quies nimia, morborum causæ sunt; cumque causæ intimæ, seu primoprime, quæ nullam prorsus cum sensibus commercium habent, medicum omnino lateant, illas quæ sensibus obviæ sunt ideò studiosius indagare oportet. Hoc unum ulterius subjiciam.

Medicamenta perperam adhibita venena vera fiunt, et sæpe medicus ab ægro non prius accersetur quam plura temere præscripta et deglutita fuerint; multa tum fortè patitur non

tam

tam morbo quam remediis tribuenda; febris
intermittens calidissimo regimine male tractata,
remittens primò, dein continua fit, ad pristinam
figuram reversura, dummodo naturæ quies
concedatur.

Paucâ hæc de cognitione morborum, quæ
fortè nimisi communia videbuntur, principia eo
agim in unum coegi, ut menti meæ altissime in-
fideant illa, quæ in tanti momenti negotio me-
dici attentionem maximopere requirunt. Am-
pliores autem sermone rem ad eò gravem profe-
qui, viri in arte medica exercitati experi-
entiam postulasset. Scripsi itaque, ut me in tali
anatebia decuit, breviter; satis autem, ni fallor,
scripsi, ut cuivis hoc sit persuasissimum, morbo-
rum variis detegendis formis neminem impende-
re, minimum possédant laboris aut industriæ.

Indagatis genibus partium humani corporis et
suis, et exquisitâ fabricâ, et functionibus, et mor-
bis et morborum signis, qui hinc continentur.

terius non progreditur, hunc ego stare dixerim in ipsâ tantum portâ et limine quasi medicinæ.

Præterquam enim quòd experientiâ solâ multa sint cognoscenda, quæ nulla unquam vis verborum fatis expressit, corpus humanum inter atque objecta externa mirus omnino nexus intercedit; his alimur, spiramus, calescimus, vivimus; his etiam variè lædimur; cumque homines diversas vitæ terant semitas, quisque sua portent onera, quisque suis periculis objectus opprimantur, tota erit medico indaganda natura, erunt et omnes hominum ordines lustrandi. Cumque demum non modò ob varias quas per decursum vitæ mutationes subeant, verùm etiam ab ipsa vitæ origine homines a se invicem sint diversissimi; incumbere et huic quoque strenuè oportet, ut discamus hominis uniuscujusvis, quem curare suscipimus, intimam naturam et indolem.

Hæc est demum medecina rationalis; ars scilicet omnium fere scientiarum inventis fundata.

Tali

Tali modo artem medicam exercenti experientia indies nova explicabit naturæ arcana; ex læto pariter atque infausto morborum eventu, immonet ab ipsis, quos humana parum cavere potest natura, erroribus, nova deducet subsidia, quorum ope manu firmiore labentem naturam sustineat.

Quæ verò ipse laborum suorum sit insuper laturus præmia, quibus tandem verbis dicam?

Si mentem humanam mortalia tangant mala, si quis ei sensus gratus qui miseris succurrere deficit, quantâ lætitiâ illum affectum iri credam, qui hominem sævissimis doloribus per se liberatum, placidâque tum corporis tum animi quiete fruentem perspicit: qui marito conjugem, parenti liberum, solum forsan trepidantis senectæ solamen atque decus, per se redditum contemplatur.

Hæc est doctrina medicæ rationalis; ars scilicet

Nunc operi incepto finem imponens, hujus atque Dubliniensis Collegii Professoribus Medi-

cis gratus profiteor me magna debere ; vobis autem, RUTHERFORDE atque GREGORI, maxima : si quos unquam letho ereptos sanitati restituerō, vestris præceptis exemplisque debebunt illam, quam per meas tantummodo manus accipient, salutem.

F I N I S.